

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Prelacio bl  
cum uariis

Negligencia prelatorum in tantam deordinacionem et confusionem induxit quod in eis est terra sursum et celum deorsum, pedes sunt supra caput et facies est retro, interiora effusa sunt extra; Deus ibi conculcatur et terra deificatur; dyabolus honorifice recipitur, Deus uero contumeliose repellitur. Terra sursum est et celum deorsum ubi terrena celestibus preponuntur. Pedes sunt supra caput ubi uiri spirituales despiciuntur, homines uero terrena sapientes ad regimen temporalium utiles in honore habentur. Facies est retro cum in operibus que uidentur bona pocius utilitas terrena intenditur quam merces eterna. Interiora effusa sunt extra cum bona interna negliguntur et exteriora diliguntur. Deus uero conculcatur et terra deificatur ubi deficit caritas et regnat cupiditas. Dyabolus honorifice recipitur et Deus contumeliose repellitur ubi raptiores et usurarii cum honore recipiuntur et magnis expensis procurantur, boni uero pauperes uel repulsam paciuntur uel male procurantur.

Bernardus in exposicione regule beati Benedicti parte tercia, capitulo VII. tractans illud Proverbiorum XXV.: Celum sursum et terra deorsum.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

deorsum pedes sunt supra] deorsum pedes sunt super C; est *om.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; et terra deificatur *om.* (*cor. in marg.*) M; preponuntur pedes sunt supra] preponuntur pedes sunt super P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; intenditur] inter (*cor. infra*) C; honorifice] honorice C